

HEINRICVS GVL PEN NORINBERGENSIS ABBAS.



HEinricus literarū amore sese hinc inde ad academias contulit. ubi diligentia & ingenio frētus, brevi liberalium artium magister creatus, postea Iurisprudentiæ operam dedit, & in iureconsultum doctissimum evasit. Eius tempore Concilium Constantiæ celebrabatur. itaq; eō profectus disputando & scribendo mirum in modum se exercuit. Erat enim in diuinis scripturis & seculari philosophia eruditissimus. cuius ingenij promptitudinem & consilij prouidentiam Ioannes Nider in suo de formicis opusculo multis uerbis commendat. Post Concilij dissolutionem sese Norinbergam contulit, atq; ordinem S. Benedicti assumpsit. ubi etiam ob uitæ innocentiam, & omnigenam doctrinam brevi abbas Monasterij S. Aegidij creatus est. Anno circiter millesimo quadragesimo decimo septimo. Cum in eo officio aliquandiu perseuerasset, tandem ibidem moritur. Trit.